

et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis qui aliquam ex dietis ecclesiis in secunda die mensis Augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem quod præsentium transumptis etiam impressis, manualicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 4 Julii 1622, Pontificatus nostri anno secundo.

« S. CARD. S. SUSANNÆ. »

(52. Talis indulgentia in omnibus ecclesiis Religionis Seraphicæ pro secunda die Augusti potest applicari etiam pro defunctis, et adducitur bulla Innocentii XI. id concedentis.

INNOCENTIUS PAPA XI, ETC.

« Alias felic. recordat. Gregorius Papa XV, Prædecessor noster, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis qui aliquam ex ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, etiam Reformatorum nuncupatorum, ubique existentium die 2 mensis Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, annis singulis devote visitassent, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit, et alias prout in ipsius Gregorii prædecessoris litteris desuper in simili forma brevis, die 4 Jul. 1622 expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit uberius continetur. Cum autem dilectus filius Modernus procurator Generalis dicti Ordinis, ut nobis nuper exponi fecit, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem, per dictum Gregorium prædecessorem, ut præfertur, concessam, etiam animabus Christifidelium defunctorum per modum suffragii applicari posse summopere desideret; nos piis ejusdem procuratoris generalis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentiam plenariam et peccatorum remissionem Christifidelibus præfatis, supradictas ecclesias Fratrum ordinis Sancti Francisci de Observantia, et Re-

formatorum dicta die secunda mensis Augusti, ut supra visitantibus et præmissa peragentibus, concessam, etiam Christifidelium animabus quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo concedimus et indulgemus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Volumus, etc.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 12 Januarii 1678. »

(53. Talis indulgentia plenaria in ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum prope Assisium est perpetua quolibet anni die, ex concessione Innocentii XII sub die 27 Augusti 1695 tenoris sequentis.

INNOCENTIUS PAPA XII, ETC.

« Redemptoris et Domini Nostri Jesu Christi vices, licet immeriti, gerentes in terris, cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostræ commisit Deus, fidei prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium principum præclaris in Ecclesiam Dei meritum fulgentium, ac religiosorum virorum propriæ alienæque saluti laudabiliter incumbentium vota postulant, et nos ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur. Itaque spirituali Christifidelium ad ecclesiam S. Mariæ Angelorum nuncupatam, domus Fratrum ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, prope et extra muros civitatis Assisien., assidue (ut accepimus) ex universis Christiani orbis partibus devotionis causa confluentium, consolationi atque animarum saluti, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, nec non dilecti filii Bonaventuræ Peorii, ministri generalis dicti ordinis, supplicationibus, etiam totius ordinis prædicti nomine, nobis super hoc humiliter porrectis, quibus piæ atque enixæ plurium orthodoxorum principum preces in idipsum tendentes accessere, favorabilem assensum præbere cupientes ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus ad ecclesiam supradictam, sicut præmittitur, confluentibus, qui illam vere poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, in quocunque anni die devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earundem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur quæ ipsis præsentibus haberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 18 Augusti

1695, pontificatus nostri anno quinto.

« J. F. CARD. ALBANUS. »

(54. Eandem indulgentiam plenariam perpetuam et quotidianam concessit visitantibus ecclesiam S. P. N. Francisci Conventualium d. civitatis Assisii idem Innocentius XII, sub die 18 Aug. 1695, const. incip. *Commissæ nobis*.

(55. Talis indulgentia plenaria pro die 2 Augusti non suspenditur per annum Sanctum in ecclesia S. Mariæ Angelorum prope Assisium, ut declararunt Innocentius X 5 Julii 1650, Clemens X 12 Novembris 1664, et Innocentius XII 21 Augusti 1699, in brevibus, ut sequitur.

INNOCENTIUS PAPA XII, ETC.

Cum ob sacri Jubilæi celebrationem, a vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime venturi anni inchoandam, et usque ad finem ejusdem anni duraturam, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, et aliis locis piis, sæcularibus et quorumvis ordinum, etiam mendicantium, Regularibus, sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessas, de apostolicæ potestatis plenitudine suspenderimus ac suspensas esse declaravimus, easque, eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur: Nos cupientes ut ecclesiæ S. Mariæ Angelorum, domus ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, prope et extra muros civitatis Assisii, congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christifideles libentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint, tenore præsentium declaramus mentis et intentionis nostræ minime fuisse nec esse sub præfata indulgentiarum suspensione, indulgentiam utriusque sexus Christifidelibus, prædictam ecclesiam die secunda mensis Augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, visitantibus, et requisita pro eadem indulgentia consequenda peragentibus, concessam, comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehendendam esse in verbo Romani Pontificis attestatur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 21 Augusti 1799.

Similem declarationem jam fecerant alii pontifices, et signanter Clemens VII et Urbanus VIII; et novissime fecit Benedictus XIII.

(56. In aliis vero ecclesiis et locis ordinis suspenditur anno Sancto pro vivis, minime pro defunctis. Felix Potestas tom. I, part. IV, n. 3796. Per Jubilæum enim anni Sancti non suspenduntur indulgentiæ pro constitutis in articulo mortis et pro defunctis, ut decla-

rarunt Gregor. XIII, Clem. VIII, Urban. VIII, Innoc. XI, teste ipso Felice Potestate loc. cit., n. 3825; et tenent Busembaum, lib. VI, tract. 4, cap. 1, dub. 4, § 2, respons. 2, n. 1, et alii passim, et sic servat praxis.

(57. Indulgentia Portiunculæ pro secunda die Augusti a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi potest obtineri seu acquiri toties quoties a Christifidelibus aliqua ecclesia ord. S. P. N. Francisci visitatur, et ibidem ad mentem Pontificis oratur, nempe semel pro seipsis, et aliis vicibus pro animabus Purgatorii. Ita Engelbertus Pauck in tertia Seraphica Vineæ, c. 28, n. 136; Hermanus Born in suo Seraphico Firmamento, secunda die Augusti; Kazenberger loc. cit., num. 101. et alii passim; id clare colligentes, tum ex communi praxi ubique, et etiam Romæ observata, nedum a simplicibus, sed etiam a viris doctis et primatibus, tum ex sequenti responione et declaratione sac. congregationis Concilii.

Cum enim in vim decreti sub Innoc. XI editi, 7 Mart. 1678, et adducti supra art. 4, num. 15, ubi disponitur: *Semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucriferi, dubitaretur an indulgentiam præfata lucrarentur fideles toties quoties ecclesiam visitarent, pro declaratione dubii fuerunt preces sacre cardinalium congregationi exhibitæ, et infra.*

« Episcopus Labancensis a parte imperii orator devotus EE. VV. humiliter exponit quod non obstante decreto Innocentii XI de Apocryphis indulgentiis, sub die 7 Martii 1678, quo declaravit semel duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, lucriferi, pergunt fratres ord. S. Francisci Reformatorum de provincia Carniolæ populo persuadere indulgentiam pro die secunda Augusti de Portiuncula nuncupatam eorum ecclesiam visitantibus concessam toties quoties eadem die lucriferi posse.

« Cum autem hujusmodi abusus ad Summum Pontificem ab ordinariis deferri jubeat sac. congreg. Conc. Trid., sess. 25, de Reform. c. 21, in decreto de Indulgentiis, idcirco orator quærit et declarari petit an præfata indulgentia de Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur sub decreto et declaratione san. mem. Innocentii XI supradicta, pro qua gratia, » etc.

Die 17 Jul. 1700, sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, audita relatione procuratoris generalis, et ministri provincialis, censuit servandum esse solitum (apud impresorem cameralem). Et sic sæpius respondit eadem sac. congreg. Concilii, et novissime in una ordinis S. Francisci 4 Dec. 1723. Et ad rem mirifice facit Apologia Indulgentiæ Portiunculæ toties quoties applicabilis, erudite ex multis compacta a P. Sabino Bononiensi in Luce Morale, parte secunda, tr. 65, ubi ipsam indulgentiam Portiunculæ esse toties quoties lucrabilem ad longum solide

probat omnibus solutis objectionibus, adducitque ad id etiam breve authenticum sancti Pii V asservatum in archivio monasterii de Cerravalle Civitatis diocesis. Vide ipsum *ibi*, ubi abunde de omnibus ad rem facientibus. Porro de validitate hujusce indulgentiæ Portiunculæ, ejusque extensione ad omnes alias ecclesias ordinis Sancti Francisci ambigi non potest; nullo licet exstante authentico documento, scientibus et non contradicentibus Romanis Pontificibus. Benedict. XIV, de Synod. Dioc., lib. XIII, cap. 18, § 3, nov. edit.

58. Omnes Christifideles obeuntes Viam Crucis a nostris fratribus erectam, sive in locis ad nos spectantibus, sive in aliis non subjectis nec dependentibus ab ordine nostro, possunt quotidie, modo sint in gratia, et obeundo Viam Crucis devote recolant passionem ac mortem Christi, lucrari easdem indulgentias quas Hierosolymis obeuntes Viam Crucis lucrantur; quæ indulgentiæ sunt assignatæ supra num. 8. Sic ultra concessionem et declarationem factam ab Innocentio XI 5 Septembris 1686, et ab Innocentio XII decimo septimo Kalendas Januarii 1695 constit. incip. *Sua nobis*, adducta supra sub n. 24, concesserunt, et declararunt novissime Benedictus XIII 1726, quinto Nonas Martii, constit. incip. *Inter plurima*, et Clem. XII, die 16 Januarii 1731, constit. incip. *Exponi nobis*. Quæ constitutiones, cum sint ad hanc rem scitu dignissimæ et apprime necessariæ, hic ad litteram dantur cum admonitionibus ab eminentiss. præfecto sac. congregationis Indulgentiarum datis de mandato Sanctissimi, et litteris encyclicis a superiore generali hujus nostræ Cismontanæ Familiæ ad omnes conventus transmissis, et in earum respective archiviis de suo mandato servatis.

59. *Sanctissimi in Christo Patris, et domini nostri Benedicti XIII, Pontificis Maximi, constitutio, in qua pium exercitium viæ crucis peragentes apud Fratres Minores de Observantia nuncupatos, indulgentiarum omnium quas Summi Pontifices stationibus Terræ Sanctæ concesserunt, participes efficiuntur, ipsæque indulgentiæ approbantur et confirmantur.*

BENEDICTUS EPISCOPUS, ETC.

I. Inter plurima et maxima signa immensæ erga nos Dei benignitatis ubique occurrentia, summam et admirabilem ejus in humanum genus charitatem declarat æterni ejusdem Filii Jesu Christi passionis inexcusable sacramentum, quo erepti sumus e faucibus tenebrarum. Hinc Romani Pontifices antecessores nostri eandem passionem memoria recolentibus apostolicas indulgentias et gratias donare consueverunt, quas ad pios Christifideles in Dominicæ Passionis contemplatione sese exercentes a nobis extendi et confirmari, ut Christiana religio in hominum cordibus augeatur, plurimum in Domino expedire putamus.

II. Eapropter dilectus filius frater Josephus

maria ab Eboræ, procurator generalis ordinis Fratrum Minorum Beati Francisci qui de Observantia nuncupantur, petitionem nuper exhibendam nobis curavit, qua continebatur, fratres ejusdem ordinis pium exercitium Viæ Crucis appellatum, quo tota Dominicæ passionis series pietis tabulis, ubi commode fieri posset, expressa, inque plures stationes distributa, eo modo quo peregrini civitatis S. Hierusalem loca ipsa ubi Christus passus est recolentes et frequentantes, invisunt, contemplanda proponeretur, in varias Christianorum provincias magno animarum fructu intulisse, ac piæ recordationis antecessorem nostrum Innocentium Papam XII hujusmodi exercitium largitione cælestium munerum promovisse per litteras apostolicas in forma brevis, sub annulo Piscatoris, incipientes *Ad ea per quæ*, Romæ datas apud S. M. Majorem die 24 Decembris anno MDCXCII, Pontificatus 2, ubi inter alia, omnibus et singulis Fratribus et monialibus, atque aliis utriusque sexus personis ordinum et congregationum, obedientiæ seu directioni ministri generalis Fratrum Minorum de Observantia subjectis, Christique fidelibus confratribus et consororibus quarumcunque confraternitatum et societatum, sive sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, sive sub alia qualibet invocatione in eorundem fratrum et monialium ecclesiis canonicè erectarum sive erigendarum, orationi mentali quæ dicitur Viæ Crucis exercitium, quo, ratione suæ regulæ et constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus, pro qualibet vice dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, perque totum mensem orationi et exercitio hujusmodi vacantibus, dummodo vere poenitentes et peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpsissent, proque Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. E. Ecclesiæ exaltatione, piæ ad Deum preces fudissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium Deo in charitate conjunctis ex hac vita migrantibus, applicare possent, apostolica auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit.

III. Postmodum dictus Innocentius antecessor per alias apostolicas litteras incipientes *Sua Nobis*, sub plumbæ Romæ datas, apud S. Mariam Majorem septimo Kalendas Januarias, Anno Dominicæ incarnationis MDCXCV, Pontificatus 3, inter alia decretum venerabilium fratrum suorum S. R. E. card. conc. Trid. interpretum, die 12 Novembris anni MDCXCV, per se die 13 ejusdem mensis approbatum declaraverat, pia loca Viæ Crucis seu Calvarii ad recolendam et meditandam Christi passionem a prædictis fratribus et monialibus, aliisque personis ad instar Stationum Calvarii montis erecta atque instituta, in privilegiarum atque indulgentiarum plenariorum nondum revocatarum generali mutua et reciproca communicatione per Apostoli-

cam Sedem concessa, et litteris piæ memoriæ antecessoris nostri Innoc. Papæ XI, in forma brevis, sub die 5 Septemb. anni Incarnationis Dominicæ 1686, comprehendi, ideoque frui et gaudere indulgentiis in iisdem litteris Innocentii Papæ XI expressis quæ omnia sub sententiis, censuris, et pœnis in contradictores infligendis, executioni tradi et publicari mandavit, ut in utrisque litteris ejusd. Innoc. Papæ XII plenius continetur.

IV. Cum autem, sicut eadem petitio fratris Josephi ab Eboræ subjungebat, prædictum exercitium viæ crucis in omnibus ferme ecclesiis ordinis Fratrum Minorum de Observantia diebus festis tam pio operi assignatis religiose peragatur a quamplurimis Christifidelium ministro generali nequaquam subjectis extra ordinem quoque illic accedentibus; ideoque iidem fratres, ut tam sanctum exercitium pro animarum salute ulterius propagetur, indulgentias et privilegia etiam per viam communicationis, ut præfertur concessa, et utriusque Innocentii antecessorum nostrorum litteras superius memoratas, atque alias, si quæ sunt, idem exercitium respicientes, Decretumque a venerabilibus fratribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ card. olim confectum, ac postmodum apostolica auctoritate confirmatum, prævia ejus declaratione, ad tollendas omnes ambiguitates super ejus interpretatione forsitan exortas, per nos et Sedem Apostolicam probari et confirmari cupiant, easdemque indulgentias et Privilegia ad quoscunque Christifideles, etiam dicto ministro generali nullo modo subjectis extendi et ampliari enixe deposcant.

V. Hinc ad dicti fratris Josephi Mariæ preces, præmissis omnibus opportune providere cupientes, nos, qui omnem operam libenter impendimus ut omnes Dominicæ passionis memoriam sæpe animo repetant, et salutarem illius fructum percipiant, eundem Josephum specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, ipsum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati indulgentias etiam pro animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles, et privilegia etiam per viam communicationis concessa in litteris utriusque Papæ Innocentii, inque decreto venerabilium fratrum S. R. E. cardinalium expressa et declarata; ac quibuscunque aliis litteris apostolicis idem exercitium viæ crucis respicientibus, ad tollendam omnem ambiguitatem alienamque interpretationem inde quomodocunque ortam aut fortasse orituram; ut fideles per exercitationem bonorum operum sacrosanctos Ecclesiæ thesauros absque ulla animi hæsitacione adipiscantur, declaramus, fratres, moniales ac personas superius memoratas, exercitium viæ crucis hujusmodi peragentes de privilegiis et indulgentiis, etiam plenariis, sub generali mu-

FERRAR. IV.

tua, et reciproca communicatione per Sedem Apostolicam concessis, vere communicare et participes fieri, proptereaque frui et gaudere indulgentiis ac privilegiis quæ Romani Pontifices locis sanctis ac illorum stationibus intra et extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium prædictum ibidem peragerent, atque ita ab omnibus asseri et censi debere volumus. Ideoque ea omnia hactenus recensita, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, approbamus, et innovamus, ac perpetuæ ac inviolabilis apostolicæ firmitatis robur iisdem adjicimus, omnesque et singulos tam juris quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

VI. Insuper, ne a participatione bonorum spiritualium quæ ab exercitio viæ crucis provenire speramus ullus arceatur, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, indulgentias etiam animabus in Christi charitate defunctorum applicabiles, et privilegia superius expressa, etiam per viam communicationis indulgentiarum quæ locis sanctis intra et extra Hierusalem concessa fuerunt, aut alias quomodolibet, fratribus, monialibus, ac personis jam dictis, quæ per nos approbantur et confirmantur, ad quoscunque Christifideles utriusque sexus ministro generali nullo modo subjecto, qui exercitium viæ crucis et alia Christianæ pietatis opera ejusdem modo et forma, quæ a fratribus et personis prædictis peraguntur, pie ac devote penes fratres dicti ordinis private quoad alios quoscunque peragent et implebunt, perpetuo extendimus et ampliamus.

VII. Decernentes præsentibus litteras nostras inque eis contenta quæcunque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quocunque alio defectu notari, impugnari, invalidari, ad terminos juris reduci, aut contra illas quocunque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, nec sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos, vel successores nostros Romanos Pontifices, aut Sedem Apostolicam pro tempore factis, comprehendi non posse, sed semper ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo semper concessas, ac perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere debere: sicque, et non aliter, per quoscunque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. Roman. Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuntios judicari et definiri debere; et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, piæ memoriæ Pauli Papæ V, similiter præ-

decessoris nostri nonnullarum indulgentiarum revocatione, sive moderatione, aliisque constitutionibus, et ordinationibus, ac nostra et cancellariæ apostolicæ regula de indulgentiis non concedentis adiustar, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ Anno Incarnationis Domini 1726, quinto Nonas Martii, pontificatus nostri anno tertio.

(60. Constitutio SS. D. N. Clementis Papæ XII qua declaratur quod viæ crucis erectæ et erigendæ in ecclesiis ac locis non subjectis, nec dependentibus ab ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, fruuntur privilegiis, et indulgentiis quibus gaudent institutæ in ecclesiis ac locis ejusdem ordinis, incerta est in altero Brevis Benedicti XIV quod hic affertur ad litteram.

BREVE BENEDICTI XIV quo confirmatur pium exercitium viæ crucis erigendum a fratribus tam Observant. quam Reformat. ministro generali O. S. Francisci subjectis.

BENEDICTUS PAPA XIV, ETC.

« Cum tanta sit passionis, crucis, et mortis Domini Nostri Jesu Christi vis, ut nullum reperiatur tam efficax remedium ad curandum conscientia vulnera quibus infirmitas humana quotidie per peccatum sauciatur, nec non ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam, quam passionis, crucis, mortis, atque vulnerum ejusdem Redemptoris Nostri sedula meditatio; ut Christiani in hac nobis totius causa beatitudinis occupati quotidie sese alacrius exercerent, nec catholicæ Ecclesiæ Patres, nec Romani Pontifices prædecessores nostri unquam destiterunt, quin assiduis monitis exhortationibusque, et profusis cælestium thesaurorum elargitionibus persuaderent, allicerent, ac locupletarent. Sane fel. record. Clemens Papa XII, prædecessor noster, non solum cætera ad recolendam potissimum tantorum passionis, crucis et mortis Dominicæ mysteriorum memoriam, alias ab iisdem prædecessoribus concessa et impertita indulgentiarum, ac peccatorum relaxationum, remissionumque munera, quæ et ipse confirmavit, ac de novo elargitus fuit, verum etiam viam rationemque in via crucis seu Calvarii, ut dicitur, pie peragenda traditam, aliis apostolicæ suæ Providentiæ regulis ordinavit, disposuitque, prout clarius intelligitur ex ipsis Clementis prædecessoris in simili forma brevis litteris tenoris sequentis, videlicet:

« Clemens Papa XII, ad futuram rei memoriam.

« Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Bernardus Monterde, Procurator generalis ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo quam dilecti etiam filii Moderni

« ministri generalis dicti Ordinis nomine, quod cum antiqua vigeret, ac etiam nunc viget in ordine hujusmodi consuetudo erigendi et instituendi per illius fratres in vim facultatis sibi alias a Sede Apostolica concessæ, pia loca viæ crucis seu Calvarii nuncupata ad instar stationum montis Calvarii, nedum in ejusdem ordinis, sed etiam in aliis ecclesiis, ac locis ab eo minime dependentibus, isque mos in universis regnis Hispaniarum ac plurimis Italiæ regionibus semper ante hac retentus fuerit, et adhuc de præsentibus servetur; licetque dudum fel. record. Innoc. Papa XII, prædecessor noster, ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret, commissarii generalis pro Ultramontana Familia dicti ordinis, præfata loca pia viæ crucis seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innoc. Papæ XI prædecessoris quoque nostri, litteris in simili forma brevis die 5 Septembris 1686, super confirmatione diversarum indulgentiarum et privilegiorum ipsius ordinis editis comprehendi, ac proinde frui et gaudere posse indulgentiis et privilegiis in litteris hujusmodi concessis et expressis declarasset per suas itidem in forma brevis die 5 Decemb. 1696 desuper expeditas litteras, idque absque limitatione ac restrictione dictorum locorum viæ crucis seu Calvarii ad ecclesias et loca ordinis præfati factum fuisset, nihilominus aliqui existimantes facultatem illa erigendi et instituendi ad ecclesias et loca ordinis prædicti, indulgentias vero et privilegia ejusmodi ad personas obedientiæ ac directioni pro tempore existentis ministri generalis ejusdem ordinis subjectas respective limitata et restricta esse a piæ mem. Bened. Papæ XIII, etiam prædecessore nostro, indulgentias et privilegia præfata ad quoscunque utriusque sexus Christianos dicto ministro generali non subjectos; qui tamen ejusmodi loca pia viæ crucis seu Calvarii penes fratres supradicti ordinis privative quoad alios quoslibet visitarent, ibique memoriam Dominicæ passionis devote recolerent, aliaque injuncta opera peragerent, extendi et ampliari obtinuerunt prout in ipsius prædicti prædecessoris litteris sub plumbo anno Incarnationis 1726, v nonas Mart., pontificatus sui anno tertio emanatis, uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Bernardus, non minus ratione sui officii procuratoris generalis hujusmodi, quam de expresso mandato dicti Moderni ministri generalis ad emanatam occasione præmissorum confusionem tollendam, remque in statum pristinum restituendam, prædicta loca pia viæ crucis seu Calvarii per eosdem fratres, etiam in ecclesiis et locis quæ non sunt dicti Ordinis erecta et erigenda, eisdem indulgentiis et privilegiis gaudere per nos declarari summo opere desideret, quem admodum ab ipso Benedicto prædecessore

« sorè, postquam litteræ suæ præfate prodierant ad supplicationem dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Violantis a Bavaria principissæ Etruriæ viduæ fratribus recessus Sancti Francisci ad montem Florentinum, et conventus de Ambrosiana nuncupat. dicti ordinis in vim cujusdam rescripti die 10 Novembris 1729, ejus jussu editi, concessum fuisse memoratur: nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgentiis de benigntate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Bernardi votis hæc in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, eumque, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: nec non utriusque Innocentii et Benedicti prædecessorum litterarum præfatarum tenore, et alia quæcunque etiam specificam et individuum mentionem, et expressionem requirunt, præsentibus pro plene et sufficienter expressis et specificatis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinari, quod prædicta loca pia viæ crucis seu Calvarii in ecclesiis, oratoriis, monasteriis, hospitalibus, et aliis itidem piis locis ipsi ministro generali non subjectis nec ab eo dependentibus, per fratres dicti ordinis nunc erecta et in posterum erigenda, Indulg. ac Priv. fruuntur et gaudeant quibus fruuntur et gaudent erecta in ecclesiis, et in locis ordinis præfati, auctoritate apostolica tenore præsentium decernimus, et declaramus, ac quatenus opus sit et de novo concedimus et indulgemus; ita tamen ut quoad illa sic deinceps erigenda modus et forma serventur quibus ejusmodi erectiones in ecclesiis et locis ordinis prædicti hætenus fieri consueverunt, et accedat licentia ordinarii loci ac consensus parochi et superiorum ecclesiæ, monasterii, hospitalis, et loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit. Decernentes pariter easdem præsentibus litteras firmas, validas, efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore spectabit plenissime suffragari. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscunque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii auditores, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra et cancellariæ apostolicæ regula de non concedendis indulgentiis ad instar, et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, etc.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram sub annulo Piscatoris, die 16 Januarii 1731, pontificatus nostri anno primo.

« F. CARD. OLIVERIUS. »

« Quoniam autem dilectus filius Leonardus a Portu Mauritio ejusdem ordinis Minorum Reform. nuncupator. frater expresse professus, nobis humiliter supplicari fecit ut non solum præinsertas litteras Clementis prædecessoris præfati, et in eis contenta quæcunque quo firmitus subsistant et serventur exactius, confirmare, verum etiam nonnulla, ut infra, declarare et præscribere de benignitate et auctoritate Apostolica dignaremur; nos igitur ipsum Leonardum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Leonardi nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, præinsertas Clementis prædecessoris litteras, et in eis contenta quæcunque auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus; nec non earumdem præinsertarum litterarum tenorem, formam, et dispositionem sine ulla interpretatione et restrictione omnino in posterum servari mandamus. Præterea cuicumque parochi, ut prævia proprii ordinarii seu antistitis in scriptis obtinenda licentia, sub directione cujuslibet fratris ejusdem ordinis Minorum sive Observantium, sive Reformatorum, sive Recollectorum, vel ad excipiendas sacramentales Christianorum confessiones approbati, vel prædicatoris Verbi Dei de quocunque conventu, sive proximo, sive remoto, ad parochi arbitrium, de suorum tamen superiorum consensu ac permissu erigendi viam crucis seu Calvarii, ut præmittitur, sive in propria parochiali ecclesia, sive alibi in ejusdem parochialis ecclesiæ districtu, erigendi facultatem tribuimus et impertimur. Volumus autem ut via crucis seu Calvarii hujusmodi in iis civitatibus, oppidis, et locis ubi ab ipsis fratribus ordinis præfati in suis respective ecclesiis, sive alibi, jam erecta reperitur, de novo minime erigatur: nisi ubi licet alia in civitate, oppido, et loco quolibet via crucis seu Calvarii hujusmodi erecta fuerit, ea tamen vel itineris longitudo, vel viæ asperitas, ut Christiani non sine gravissimo incommodo, aut nullo pacto illuc ad eandem viam crucis seu Calvarii peragenda accedere valeant. Quo casu locorum ordinarii, quorum arbitrio, ac prudentiæ præmissa omnia ordinandi ac præscribendi relinquimus, ordinem et præscribant. Decernentes pariter easdem præsentibus litteras, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad